



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118278

§. 41. Wenceslaus Romanorum Rex.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

ria usque accersitam urbis Priores (sic Secul. XIV. A.C. 1376.
vocabantur) adibant, orabantque magnopere, ut cum Papa ipsorum pacem coram conficeret. Ibat proin, & Avenionem 18 Junii an. 1376 delata reperit ibi Patrem Raymundum, quo utebatur interprete: nam Papa Latine, ipsa Italiane, nimirum communi Hetruriæ sermone loquebatur. Colloquium Papa finiebat his verbis: Ut videas me velle pacem, simpliciter eam arbitrio permitto tuo: attamen honorem Ecclesiæ tibi commendatum habe!

At Florentini non agebant bona fide. Cum Catharinam rogarent, ut Avenionem peteret, spondebant a se missum iri post eam Oratores, tantum, quæ præscriberet, facturos. Sed mittebant sero admodum: & Papa Catharinæ prædixit, ipsam deceptum iri. Et vero postquam advenerant Oratores, negabant se habere præceptum cum ea conferendi consilia. Supplicabat tamen Gregorio, ut eos indulgenter haberet: suadebat etiam, ut peteret Romam, quod ille fecit: & ipsa rediit in Italiam.

§. XLI.

Wenceslaus Romanorum Rex.

Interim Imperator Carolus IV Wenceslaum suum filium natu majorem quindecim

Sæcul. XIV. A.C. 1376. *Rayn. 1376. n 13 14. Vitæ to. 2. p. 793. Æt. 1199. Æn. Sylv. hist. Boh. c. 33.* decim habentem annos in Regem Romanorum eligi curaturus, hac super re 6 Martii ad Papam scripsit, id se haud posse sine permisso ejus agnoscens. Consensit Papa: & Electores primum Reniam die Pentecostes 1 Junii, tum decimo ejusdem mensis Francofordiam delati Wenceslaum ibi Romanorum Regem cooptarunt allecti pecunia: nam Imperator singulis promiserat centies mille florenos aureos; quos præsentibus solvendo impar oppignoravit eis proventus Imperii; atque sic vires ejusdem fregit, nunquam postea reparatas.

§. XLII.

Papæ iter.

Vit. to. 1. p. 1194. Exeunte Augusto anni 1376 Avenionem profecti Lucas Savellus & quidam alius ut Romanorum Legati supplicabant Gregorio, ut curiam suam transferret Romam, & cum Cardinalibus ibi resideret. Adjungebant: Romani volunt Papam habere Romæ, quia Romanus est Pontifex; & a Christianis omnibus ita vocatur. Ni annuas, Romani, nedubita, sibi providebunt de Papa, qui deinceps Romæ cum ipsis maneat. Cardinalis de S. Petro tum pontificius Romæ Legatus cogebatur Gregorio scribere, nisi quam primum veniret, offensio-
nem

p. 1195.